VOTA ET MOTIVA IN PROCESSV PETRI LVDOVICI GAN, SVPER INFANTIONIA.

IN Dei nomine Amen. Nouerint vniuersi, quod anno a natiuitate Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, die vero quæ computabatur sexto mensis Octobris apud ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Regij Consilij ciuilis præsentis Regni Aragonum interuenerunt & fuerunt præsentes Magnifici Domini Antonius Augustinus de Mendoça ordinarius Assessor, Martinus Godino, Hieronymus Marta, Ioannes Franciscus Salaçar, & Domincus de Escartin Regij Consiliarij, coram quibus fuit positus processus Petri Ludouici Gan super infantionia, in quo omnes dicti quinque Domini de dicto Regio Consilio concordes fuerunt voti & opinionis, quod atten. con ten. &c. tenetur & debet pronuntiare & declarare, Petrum Ludouicum Gan Exponentem, fore & esse Infantionem, & debere gaudere omnibus & singulis priuilegijs, libertatibus & immunitatibus Militibus & Infantionibus præsentis Aragonũ Regni concessis & indultis, neutram partium in expensis condemnando, cætera supplicata locum non habere. Ex eo & aliàs, quoniam ex processu constat in montaneis Pirinei Regni Aragonum situm esse locum de Embun, vbi adest domus familia siue prosapia notoria Infantionum vulgo de los Ganes, quæ secundum communem famam & reputationem a tempore immemoriali, & a quo non est memoria hominum in contrarium orti ex ea, semper gauisi sunt sua militia & ingenuitate, inter quos fuit quidam Ioannes Gan dominus Casalis eiusdem familiæ, & Bernardus Gan eius frater etiam Infantiones ab illo descendunt domini qui sunt eiusdem Casalis, & a prædicto Bernardo Exponens, qui recesit a dicto loco in militiam profectus, posteaque reuersus mutauit lares & domicilium in villam Montisoni, contraxitque matrimonium semper quæ habitus fuit pro Infantione secundum communem reputationem & famam, procreauit que inlegitimum filium Petrum Gan, qui genuit carolum Gan, iste vero Petrum Ludouicum Gan Exponentem, qui omnes Infantiones exiterunt

titerunt

titerunt, probatumq; apparet in processu fuisse & esse Infantiones notorios, suaque ingenuitate & infantionia potiri actiuus possessoris & distinctiuis de visu ab hinc quadraginta annis quod genus probationis cum commune illa reputatione & fama familiæ & domus, præcipue vbi non adsunt actus distinctiui, vt in dicto loco de Embum probata immemoriali, quæ habet vim tituli sufficit secundum communem & veriorem Doctorum censuram ad probandam ingenuitatem & infantioniam in proprietate, & ad constituendos tales possessores in iure infantionatus, vt merito Infantiones declarandi sint, prout & nos dictum Exponentem Infantionem declaramus, & aliàs atten. conten. &c.

Sig † num mei Iosephi Iubero Scriba mandati suæ Maiestatis ac Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateque Regia per totam terram & dominationem Domini nostri Regis publici notarij, qui huiusmodi vota & opiniones a registro siue libro Regij Consilij ciuilis de anno supradicto, vbi continuata existunt extraxi, & cum eo bene & fideliter comprobaui, in quorum fidem præmissorum hoc meo solito signo signaui, constat de enmendatis, vbi legitur a, d, se.